



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Sectio VII. De mutua coniugum obligatione quo ad cohabitationem, alimentorum præstationem, liberorum educationem, & de obligatione coniugum ad debitum coniugale.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

trahantur) validum tamen est illius (cæteris paribus) matrimonium.

## §. V.

*De dispensatione impedimentorum matrimonii.*

**I**n impedimentis, jure naturali, vel divino matrimonium dirimentibus, propriè dispensare, nec Summus Pontifex potest, cum inferior non possit legem Superioris tollere; in impedimentis tamen, solo jure Ecclesiastico matrimonium dirimentibus, potest dispensare Summus Pontifex, validè quidem etiam sine justa causa, non tamen licitè sine justa causa, prout probat ratio superioritatis in lege propria dispensare potentis; ordinariè tamen sine speciali à Summo Pontifice concessa licentia, dispensare in his non potest Episcopus, nisi extraordinaria necessitas cogeret, quæ moram non pateretur, cum in tali casu non videatur sibi reservasse dispensandi potestatem Summus Pontifex. Communiter autem plures referuntur causæ, ob quas dispensari potest à Pontifice, Prima est extinctio gravis discordiæ, & gravium scandalorum evitatio. Secunda est, quando non reperitur in ea vicinia matrimonium æquale, nisi cum consanguineis, vel affinibus. Tertia est conservatio amplissimarum opum, vel illustris sanguinis in eadem familia. Quinta merito petentium, &c.



## SECTIO VII.

*De mutua coniugum obligatione quoad cohabitationem, alimentorum præstationem, liberorum educationem, & de obligatione conjugum ad debitum conjugale.*

## §. I.

*An teneantur conjuges simul cohabitare, & mutuo sibi prestare alimenta, & qua sit obligatio conjugum ad alendos & educandos liberos?*

**Q**uod simul ut plurimum habitare teneantur conjuges, non tantum in eadem domo, sed eadem etiam mensa & thoro utentes, patet ex c. 1. & 2. de conjug. leprosi. & ex c. 2. de conjug. si uxor teneatur sequi virum, tanquam caput familiæ, domicilium mutantem, ubi in pactis matrimonialibus aliter cautum esset, aut sine periculo gravi sequi non posset; vel certè longam peregrinationem instituentem sine magno incommodo comitari non posset, respiciendo contractum matrimonium vagari vir acciperet, ad quod uxor infirma non se obligavit, &c.

Teneatur etiam vir ordinariè uxorem, & familiam alere, quia dotis fructus ideo percipit, nisi uxor à viro sine bona culpa, aut justâ causâ discedat, aut dos promissa quidem, soluta tamen non sit. Dicitur tamen ordinariè, si enim potest

perem & indotatam duxerit, alere eam tenetur, etiam si nullo fructus dotis percipiat; sicuti etiam uxor dives maritum pauperem alere debet, uti ratio naturalis etiam probat.

Ad filios tamen ex se natos, si indigeant, sustentandos, & pie ac honeste educandos, uterque parens tenetur, uti ex Apostolo etiam patet ad Ephes. c. 6. & 1. ad Corinth. 12. maxime pater, qui est caput familiae, ita ut obligatio hac ob inopiam parentum ad avos etiam paternos, & maternos transire possit; & cura illegitimae proles alendae primo trinio matri competat: & quamvis jus Civile hac in materia rigidius videatur loqui, prohibens alimenta praebere à parentibus,

spuriis, seu ex damnato coitu natis *Authen. Ex complexu. Cod. de incestis nuptiis, &c.* mitius tamen est jus Canonicum, rigorem juris Civilis corrigens, ita ut juxta illud parentes quicumque filii etiam illegitimis alimenta moderata praestare debeant. c. *Cum haberet 5. De eo qui duxit, &c.*

## §. II.

De obligatione mutua conjugum ad usum, seu actum conjugalem.

Satis multa de hac materia, quae tota prope ad forum conscientiae pertinet, agunt Theologi Morales, qui passim consuli possunt.

## TITVLVS II.

## DE DESPONSATIONE IMPUBERUM.

## §. I.

Qua aetas requiratur ad sponsalia de futuro?

AD contrahenda sponsalia de futuro requiruntur septem anni completi, tam in maribus, quam in feminis, prout sumitur ex c. *Liberas 4. & c. Accessit 5. h. 1.* ob usum rationis, communiter cum hac aetate plenum; & hinc non tantum juxta L. *In sponsalibus 14. ff. De sponsalibus*. si in tali aetate usus rationis non habeatur, nulla erunt sponsalia, ob defectum usus rationis, sed etiam, si septennium nondum completum sit (nisi

*Compend. Pirking.*

malitia suppleat aetatem) quamvis una tantum dies deesset, ita tamen, ut in favorem matrimonii ultima septennii dies inchoata habeatur pro completa. *argum. L. à qua aetate 5. ff. Qui testamenta facere possunt.* & quae ante septennium completum nulla fuerunt, ita, ut nec impedimentum publicae honestatis produxerint, rata sint, si post septennium completum expressè, vel tacite ratificentur.

—\*—\*—

Pppp

§. II.